



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Duellum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

## D U E L L U M .

216. **Q**uæritur. Quid sit duellum, & an differat a rixa?

Resp. Duellum est pugna duorum, vel plurium facta armis, seu instrumentis aptis ad inferendam mortem, grave vulnus, vel mutilationem, ex condicito mutua, & spontanea conventionesufcepta, assignatis loco, & tempore pugnae; utrumque enim, & solemne; & privatim prohibetur sub excommunicatione Papæ reservata; differt quidem a rixa, nam hæc est pugna, quæ oritur ex subita ira, eodem calore iracundiæ animo alterato, ob quam nulla incurritur censura.

217. Quæritur. An vir equestris ad duellum provocatus possit illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat?

Resp. Opinionem affirmativam expressè damnavit Alexander VII. cum propos. 2. & merito, quia licet jure naturæ duellum non sit illicitum, si fiat ob finem gravissimum, v. g. ad extinguenda bella, ut de S. Venceslao Boemia Duce legitur, illicitum tamen est, etiam jure naturæ nedum jure Ecclesiastico ob levem, ut in casu nostro, quia vitam propriam, & alienam periculo exponere ob levem finem, dictamini rationis aperte repugnat; ultra quam quod acceptans duellum temerè, & citra causam gravissimam (qualis est salus Reipublicæ, cui vita privatorum subordinatur) nec honorem tuetur; nec notam timiditatis declinat, nisi penès paucos diaboli asseclas, & vulgares homines, nam apud cordatos reputatur insipiens, & suæ, ac alienæ vitæ prodigus.

218. Quæ

218. Quæritur. An saltem liceat viro equestri duellum acceptare à provocante, quem scit esse suum calumniatorem, si non possit alia via gravem ignominiam à calumnia proveniente repellere, quam illum occidendo?

Resp. Negativè, sicut enim non licet hunc calumniatorem occidere, ut dictum est superius *quæst.* 178. ita neque licet duellum ab eo oblatum acceptare, periculo exponendo vitam utriusque, & ratio videtur esse, quia facilè homines sibi persuadent, se per calumniam offendi, nec aliam viam evadendi suppetere præter mortem calumniatoris, quod medium ad declinandam ignominiam est reverà excessivum, eo quod animus in hac re sit hallucinationi subjectus.

219. Quæritur. Quomodo se gerere debeat Confessarius, vel simplex Sacerdos cum duellante, ex vulnere in conflictu recepto constituto in mortis articulo, dolente, & petente absolutionem, quam habere non potest ab eo, cui censura reservatur?

Resp. Si de peccatis verè doleat, & debet ab his eum absolvere, & à censura, quæ in eo articulo non est reservata, sed non nisi imposito prius onere, & recepto juramento de stando mandatis Ecclesiæ ( hoc est, quod similia non sit amplius commissurus ) & recepta sanitate; ac impedimento cessante, de comparando coram Summ. Pontif. vel eo, cui absolutionem ipse commiserit; nam *Clem. VIII. anno 1602.* dictam censuram reservavit, etiam relatè ad Regulares intra Italiam extra Urbem, prohibendo, ne visuorum privilegiorum extra articulum mortis ab ea absolverent: est etiam ab eo petenda cautio pignoratitia, vel fideiussoria,

ria,

ria, aut saltem juratoria de satisfacienda parte læsa, quam primùm poterit, quæ omnia in praxi à Confessariis servanda sunt, quando similes, & ligatos censura reservata absolvere debebunt, quod si hæc scienter omittant, quamvis absolutio sit valida, mortaliter peccant, quia in re gravi operantur contra Sacros Canones.

ELEEMOSYNA.

220. **Q**Uæritur. An fideles de superfluis statui teneantur succurrere pauperi in extrema necessitate constituto?

Resp. Principium generale, & commune est tam laicis, quàm Ecclesiasticis, utrosque obligari ad succurrendum pauperi in extrema necessitate constituto de superfluis statui, ratio est, quia nulla major necessitas, quàm extrema, nullumque minus incommodum divitibus, quàm expendere, quæ non solum naturæ, sed etiam statui superfluunt; ergo si lex charitatis, & misericordiæ obligat sub gravi, proculdubio obligat in casu adducto; quidquid sit, an obligatio ista sit solum ex lege charitatis, an etiam justitiæ, adeo ut teneantur etiam restituere damna inde secuta, qui huic obligationi non satisfaciunt, quod complures docent; præscindimus etiam, an huic obligationi satisfiat solum mutuando pauperi, non donando, quod pariter nonnulli; lege *propof. 12. inter damnatas ab Innoc. XI.*

221. **Q**Uæritur: An in extrema necessitate pauperi subveniendum sit, etiam ex necessariis statui?

Resp. Nemo tenetur ad destruendum proprium statum, ut occurrat extreme necessitati.